



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. Regnum Andalusiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

foletum, & in paucis vallibus. Frumentum hîc optimi saporis vt pote è sicciore solo. Incolæ fortes, *εὐζέροι*, vrbes optimè temperatæ per viros quos *Fieles* vocant. *Nona* paulò sicciore, & minus rigua quàm *Vetus*, & ferè pluuiis carens: tamen circa *Madritum*, & ad *Tagum* satis ferax. Diues pecore, oleo, croco, & melle.

§. 3. *Regnum Galicia.*

FACTVM est ab *Alphonso* quinto, qui *Sancium* Regem *Galiciae* creauit, sed postmodum iterum vnitum *Castellæ* in *Alphonso Legionensi*. Data quoque fuit *Galicia* *Henrico* primo *Comiti Portugallia*, sed antota, an pars duntaxat non est huius loci definire. Certè *Lusitani* quidam *Galiciam* *Regno Portugallia* contribuere. Regio hæc frigidior reliquâ *Hispaniâ* vt & minus ferax, nisi in quibusdam vallibus; sed purissimo aëre perfruitur. 50. vrbes muratas numerat, & celebratur peregrinatione *S. Iacobi* cuius corpus seruari *Compostellæ* religiosè creditur.

§. 4. *Regnum Andalusia.*

A *Vandalis* accepisse nomen fatentur omnes. Prima hæc *Maurorum* crudelitati patuit, vbi & duo regna constituere *Cordubense*, & *Hispalense*: quæ tandem *Castellæ* adiuncta sunt per *Ferdinandum* tertium cum ex *Andalusiâ* *Mauros* *Granatam* compulisset. Regio fertilitatis summæ, in qua nihil ad vitam, nihil ad voluptatem desit, digna planè fictione camporum *Elysiorum*.

§. 5. *Regnum Granatense.*

CORDVBENSIBVS rebus pessimè cedentibus *Mauri* selegere sibi *Mahumetum* quendam humili loco natum sed fortem, qui rem *Mauricam* fulciret, à quo *Regnum* hoc sæculo *Christi* 13. institutum est. Viguitque vltimum *Maurorum* in *Hispaniâ*, neque ante *Ferdinandum* & *Isabellam* deiectum est. Postea tamen hinc omnes expulsi *Mauri* patrum nostrorum memoriâ. Totus hic tractus magna ex parte desertus licèt fertilissimus & minimâ culturâ indigens. Laudantur eius vix passæ, & *vina Malacensia*, aliàs & *ferica*.